gine: tumuit vix tribus Asia urbibus, Babylone, Ninive & Hierosolymis: Gloriantur hodie America Cusco: Mexicoque Nova Hispania: at verò quis hoc tempore non videt pares majoresq; in singulis pene Europæ regionibus? Perambulet quis cogitatione solùm sua in Italia (exemplum enim subministret hic unus ille Mundi ocellus) sumtuosam Romæ Magnificentiam, Regalesque Venetiarum Opes, suspiciendam Neapolis Nobilitatem, ferventia Genuæ Commercia & Negociationes, felicem illam & beatam Mediolani Amœnitatem, aliarum denique alia cùm miracula, tum commoda: Sileant sua, clamare cogetur, sileant partes Orbis cæteræ: Par nihil Europæ, nihil est secundum. Regiones eius (ut hodie eas appellamus) sunt *Hispania, Gallia, Germania, Italia, Hungaria, Transilvania, Dalmatia, Græcia, Polonia, Lithuania, Moscovia, Roxolania, Dania, Suecia, Norvegia.* Sunt & Insulæ in Oceano Boreali, *Anglia, Scotia, Hibernia, Islandia, Frislandia.* Alibi aliæ. In Mari Mediterraneo sunt *Baleares Majorica & Minorica, Corsica, Sardinia, Sicilia, Melita, Corcyra, Creta,* pluresque aliæ. Lacuum verò, Stagnorum, Fluminum Aquarumque, queis variæ vires in hac parte quis enumeret? Quæ præter pisces, quorum incredibilem copiam subministrant, regionibus pro muro plerumq; sunt. Quid Maria? quorum commoditates, utilitates & delicias omnes si velim recensere, tempus me deficiat. Atque hæc suis locis explicabuntur. Non desunt Europæ Montes inter quos Pyrenæi Alpesque perpetuis nivibus albicantes: neque etiam Sylvæ & Nemora, in quibus quum ferarum utilium alat copiam, nocivarum tamen raritatem meritò potest jactare. Quid de Operibus publicis, tã sacris quàm prophanis, quid de privatis dicam? Innumera hîc magnifica Templa, innumeræ Abbatiæ, infinita Cœnobia, Monasteria, Xenodochia, ac Nosocomia. Plurima Regum conspicua Palatia, innumeræ Magnatum & Principum magnificæ ac pulcherrimæ ædes: innumera denique & publica & privata ædificia. Habemus hîc Iura & Leges, habemus Religionis Christianæ dignitatem, habemus humanitatis delicias, habemus armorum vim; habemus Senatores innumeros, viros prudentiâ atque eruditione venerabiles. Denique si viros celebres conferre libeat: Nulla unquam tanta fuit in alijs Orbis partibus Heroum Virorumque Nobiliũ frequentia: quanta in uno aliquo Europę tractu. Artes vero scientiasque hæc pars Orbis ita tractat, ut ob multarum rerum inventionem, Mater; ob conservationẽ plurimarum, Nutrix Sapientiæ meritò dicenda sit. In hac sunt pręstantissima florentissimaque bonarum literarũ Athenæa, in aliis regnat mera Barbaries. Horum omnium virtutes recensere nimium foret. Vitia (quis autem iis caret?) brevibus aliquot dictis circumferuntur: quę attexere libuit: *Franci*, simplices, rustici, vehemẽtes. *Bavari*, sumtuosi, commessatores, procaces. *Suevi*, leves, loquaces, gloriosi. *Turingi*, diffidentes, sordidi, contentiosi. *Saxones*, dissimulatores, versuti, contumaces. *Belgæ*, equestres, delicati, teneri. *Itali*, superbi, vindictæ cupidi, ingeniosi. *Hispani*, fastuosi, consulti, rapaces. *Galli*, elegantes, intemperantes, temerarij. *Cimbri*, magni, seditiosi, horribiles. *Sarmatæ*, edaces, superbi, furaces. *Boëmi*, inhumani, novatores, prædatores. *Illyrici*, mobiles, maligni, tumultuatores. *Pannones*, asperi, superstitiosi. *Græci*, miseri. Est & aliud haud minus lepidum. Pons Polonicus, Monachus Boëmicus, Miles Australis, Suevica Monialis, Italica devotio, Prutenorum religio, Teutonum jejunia, Gallorum constantia, nihil valent omnia.

Vrbes.

Lacus & Flumina.

Maria.

Opera publica & privata.

Leges & instituta.

Senatores & eorum frequentia.

Scholæ.

Mores.

Speciales Europæ tabb. B vii. T. p. 23 & seqq.

AFRICA